

ficari sicut dicit Apostolus cujus locum ibi Concilium explicat, nam justificatio incipit dispositive ab auxiliis, et consummatur infusione gratiæ; si ergo solum Concilium probat justificationem dari, quia auxilia gratis dantur, restabat probanda alia pars quomodo fiat gratis in ipsa infusione gratiæ habitualis, et remissione peccatorum: si ergo hoc secundum non probaret, simpliciter, et absolute posset dici, quod aliquis non gratis justificatur, nam justificatio in omni proprietate, et rigore sumitur pro ipsa infusione gratiæ habitualis, qua formaliter remittuntur peccata; ergo si Concilium non intendit probare, quod gratis justificemur quantum ad istam remissionem peccatorum, simpliciter relinquit probatum quod gratis justificemur, cum illud quod in omni proprietate appellatur justificatio, et gratia justificationis, non ostendit quod gratis fiat.

XII. Denique Concilium solum probaret auxilia gratiæ non cadere sub meritum illorum operum, quæ præcedunt justificationem, relinqueret vero incertum, et non probatum, an per alia opera antecedentia, vel subsequenta ipsa auxilia posset quis gratiam justificationis promereri. Facilius enim diceret Concilium nihil eorum, quæ præcedunt auxilia gratiæ potest illa promereri, sic enim excluderet omne meritum respectu talis gratiæ actualis, sed dixit: « Nihil eorum, quæ præcedunt justificationem, » id est, gratiam habitualement, ut ipse Vazquez fatetur. Unde ergo probat Concilium, quod absolute, et simpliciter gratia justificationis, id est, tota series auxiliorum non cadit sub meritum, sed ad hoc probandum solum affert ea, quæ præcedunt gratiam habitualement, non ea quæ præcedunt seriem auxiliorum. Certe in re adeo gravi, id est, in explicatione

testimonii Pauli cum magna obscuritate, et æquivocatione procederet Concilium intelligens nomine gratiæ justificationis, gratiam actualement tantum, cum in usu communi, et etiam in usu ipsius Concilii nomine gratiæ justificationis intelligatur gratia habitualis. Et deinde ad probandum, quod ista gratia actualis non cadit sub meritum adduceret Concilium ea sola opera, quæ præcedunt gratiam habitualement, non ea quæ gratiam actualement præcedunt, et magis conducunt ad istam probationem.

XIII. Ad primam ergo rationem in oppositum respondetur, quod admissa illa opinione de sanctificatione formali per contritionem (quam tamen nullo modo censeo admittendam, ut ostendimus in materia de justificatione) adhuc non stat promereri gratiam de condigno, quia et si contritio illa formaliter sanctificet, tamen cujus sanctitas est indivisiva, cum ea quæ datur per gratiam habitualement, nec enim alium gradum sanctitatis dat gratia, alium contritio; sed pro indivisivo dant eandem sanctitatem, licet tam contritio, quam gratia habitualis formaliter illam præbeant, alioquin duplex gradus gloriæ corresponderet contritioni et gratiæ, quare ex eo quod sit formalis sanctificatio ipsa contritio non potest argui quod mereatur gratiam de condigno, nisi probetur quod sanctificatio sit diversa, vel diversum gradum inducat sanctitatis: si autem conferunt eandem sanctitatem, una non meretur aliam, quia mereretur eundem effectum formalem, idem est autem mereri effectum formalem et mereri formam, quare si effectum formalem non meretur, scilicet sanctificationem gratiæ habitualis, nec ipsam gratiam mereretur. Et præterea gratia non est objectum meriti respectu contritionis, quia necessario se-

quitur ad illam, nec habet valorem ab illa distinctum, sicut requiritur ad rationem meriti respectu præmii.

XIV. Ad secundum respondetur, illud exemplum non esse ad rem, quia miles accipiens arma, et equum non accipit illa ut principium valoris et pretii futuri laboris, sed totus valor operum est ab industria, et animo militis: equus autem et arma solum se habent, ut instrumenta pugnandi; sed quia aliquem valorem materialem habent, possunt deservire in pretium mercedis; gratia autem dat ipsum animum, et valorem operibus.

XV. Ad exemplum de incarnatione Christi breviter dicimus, quod ibi datur duplex principium meriti, scilicet incarnatio, quæ est radicale principium omnis meriti, et gratia habitualis in sanctis patribus, quæ fuit principium merendi de congruo ipsam executionem incarnationis, et licet gratia patrum processerit ab incarnatione, ut effectus a causa, non tamen ut accipiens ab illa formalem valorem, sed distinctus valor fuit in gratia, et in incarnatione; ideoque potuit gratia mereri de congruo incarnationem. Unde principium meriti non cadit sub meritum respectu ejusdem, sed respectu alterius principii merendi dantis distinctum valorem, licet procedat ab incarnatione tamquam effectus a causa, sed tamen est effectus distincti valoris, et ideo potest deservire pro merito de congruo ad ipsam incarnationem a qua causatur. Quomodo vero possit executionem incarnationis mereri supposito quod procedit effective ab incarnatione, et sic supponit executionem ejus prævisam, atque adeo non potest illam causare merito suo. Difficultas est non hujus loci, nunc enim sufficit nobis ostendere non evacuari meritum de congruo in gratia patrum ex eo quod incarnatio sit principium meriti, si

quidem valor gratiæ est distinctus a valore incarnationis.

XVI. Unde communiter omnes fatentur quod si gratia patrum non esset per Christum nulla remaneret difficultas, ut diceretur mereri incarnationem de congruo; quod vero sit data per Christum, et ex ejus meritis prævisis, atque adeo ex ejus executione prævisa, dicimus non obstare huic rationi meriti, quia executio incarnationis, et operum Christi ita habent rationem meriti respectu gratiæ patrum quod etiam habent rationem medii, et ideo ipsa incarnatio, et merita Christi exequenda in re poterant habere intentionem finis, et gratia patrum rationem medii ad hoc ut in re poneretur incarnatio, licet ipsa incarnatio posita in re esset meritum respectu illius medii, per quod erat exequenda tamquam finis illius: quia ergo non habebat rationem puri meriti incarnationis Christi, et ejus opera, sed etiam habebat rationem finis, et in quantum meritum universalissime se poterat extendere ad omnem gratiam, ideo ipsa executio incarnationis in ratione finis induebat ordinem intentionis respectu meritorum patrum, quæ in re erant medium exequendi incarnationem; et rursus ipsa opera Christi ratione meriti erant causa efficientis gratiæ patrum; quod totum erat secundum diversas considerationes, et causalitates, sed de hoc latius in tertia parte quæstionis secundæ.

XVII. Ad tertiam rationem respondetur, quod ultima dispositio ad gratiam dicitur meritoria gloriæ quatenus informatur ab ipsa gratia in eodem instanti temporis, sed in posteriori naturæ. Unde gloria correspondet gratiæ non sicut datur parvulo, sed sicut adulto, et consequenter ex operibus informatis gratia; quod si ex operibus, ergo et ex meritis non tamen ista ultima dis-

positio potest mereri ipsam gratiam a qua informatur, quia totus valor illius est a gratia; gloria autem licet sit gratia consummata distinguitur tamen realiter ab habitu gratiæ, et non dat valorem ipsi ultimæ dispositioni. Unde potest cadere sub meritum talis dispositionis, non tamen correspondet distinctus gradus gloriæ ipsi gratiæ habituali, et contritioni disponenti ad illa, quia est unus et indivisus valor gratiæ informantis, et contritionis informatæ. Quomodo autem ille actus informetur a gratia, etiamsi effective non procedat ab illa, sed terminetur ad illam, diximus supra in materia de justificatione, informatur enim a gratia per conjunctionem ad ejus esse, cui unitur tamquam termino dispositionis, et informatur a charitate, quia conjungitur ejus fini ad quem ordinatur ab auxilio, a quo effective procedit loco charitatis.

XVIII. Restat videre an possit gratia habitualis cadere sub meritum de congruo respectu dispositionum præcedentium, quæ sunt ordinis supernaturalis. In quo est duplex sententia opposita; aliqui enim affirmant dispositiones illas antecedentes supernaturales mereri de congruo gratiam habitualem. Ratio est, quia hoc ipso quod sunt supernaturales habent proportionem cum gratia habituali, et decentiam, seu congruitatem, ut propter illas detur remissio peccatorum; hanc vero supernaturalem non habent a gratia habituali, sed ex propria natura; ergo nihil illis deest ex parte operis, ut sint merita congrua; ex parte autem operantis non requiritur dignitas æqualis ipsi præmio, alias essent merita de condigno, ergo habent illa opera quidquid requiritur ad tale meritum.

XIX. Suffragatur etiam Augustinus epistola cv, ubi inquit: « Quod ipsa remissio peccatorum non sine

aliquo merito est, si fides hanc impetrat, nec enim nullum est meritum fides. » Ubi expressius loquitur Augustinus quam in aliis locis, quæ solent citari: loquitur enim expresse de remissione peccatorum, et de fide, quæ antecedit illam, quæ utique nondum est fides viva. Confirmatur, quia absolute concedendum est, quod qui justificatur ut adultus, mediante operibus justificatur, alias justificaretur ut parvulus; idem est autem dari justificationem mediante operibus, et dari mediante operibus meritis: quidquid enim datur mediante operibus datur intuitu aliorum, atque adeo propter aliquale meritum datur, non de condigno, quia est in statu peccati; ergo de congruo. Et hunc modum dicendi sequuntur plures auctores: attribuitur Scoto, Durando, Gabrieli et aliis quibus etiam recentioribus, qui videri possunt apud Montesinos hic disp. xxxvi, quæst. iii, §. ii.

XX. Alia sententia tenet ipsas dispositiones non esse meritum de congruo respectu gratiæ habitualis. Et præcipua ratio est, quia justificatio nullo modo datur ex aliquo jure ipsius personæ, sed mere gratis, nec in mercedem, seu retributionem, meritum autem de congruo aliquale jus inducit ad præmium, et aliquale postulat retributionem, alias nullo modo esset meritum, si nullam proportionem, et relationem habet ut intuitu ejus detur.

XXI. Quod explicatur amplius, quia impossibile est quod opera habeant meritum, et jus aliquod ad præmium, si ipsa persona merens nullum habet jus, est enim est pro indiviso jus operis, et jus operantis, sed persona operans nullum habet jus etiam de congruo ad remissionem peccatorum; ergo nec opera. Minor probatur, remissio peccatorum nullo modo datur intuitu personæ, ergo nec ex jure personæ,

nam ubi est aliquod jus etiam imperfectum, intuitu illius datur id quod datur, persona autem peccatoris non habet aliquod jus cujus intuitu detur justificatio, nam nec habet jus dignitatis, cum sint in statu peccati, nec habet jus amicabile, cum sit inimicus, et totaliter aversus a Deo; ergo ex parte personæ nulla fundatur congruitas, nec jus ad remissionem peccatorum, ergo tota ratio congruitatis, et decentiæ tenet se ex parte Dei largientis, non ex parte hominis recipientis. Denique hæc sententia est conformior locutioni Scripturæ, quæ dicit nos justificari gratis, et explanationi Concilii Tridentini sessione vi, capite viii: « Quod ideo gratis justificari dicimur, quia nec fides, nec opera quæ justificationem antecedunt, ipsam justificationis gratiam promeretur. Ubi absolute, et sine distinctione omne meritum tollit, convenientius ergo dicitur quod meritum congrui negat. Et D. Thomas in hoc articulo quinto etiam sine distinctione omne meritum negat respectu gratiæ habitualis. Et licet in solutione ad primum, exponens Augustinus qui dixit fidem mereri justificationem dicat, quod fides supponit gratiam, et sic non meretur illam, ubi plane loquitur de gratia actuali, quæ sola antecedit fidem, tamen statim subdit: « Per fidem igitur justificatur homo, non quasi homo credendo mereatur justificari, sed quia dum justificatur, credit: » ergo D. Thomas sine ulla distinctione negat meritum non solum respectu gratiæ actualis, sed etiam respectu justificantis. Et hanc sententiam plures ex Thomistis sequuntur.

XXII. Inter has sententias solum est diversitas de modo loquendi, nam de re ipsa facilis potest esse concordia, meritum enim de congruo dupliciter potest accipi (ut

præcedenti disputatione articulo ultimo insinuavimus) uno modo proprie, et stricte prout fundatur in aliquo jure personæ saltem amicabile: alio modo large prout solum dicit quamdam decentiam, vel impetrationem fundatam in liberalitate dantis, et non repugnantia recipientis, vel aliis verbis. Meritum de congruo potest sumi solum ex parte operis, prout est proportio, seu dispositio ad formam, aut potest sumi ex parte operantis, prout fundat jus non quidem ex justitia, sed ex amicitia, ratione cujus dicitur a D. Thoma hic articulo sexto ad secundum: « Fundari hoc meritum in misericordia Dei, » accipiendo misericordiam etiam pro jure amicali. Si sumatur meritum primo modo, est meritum de congruo quantum est ex parte operis, quia est in illo proportio dispositionis ad formam: si secundo modo, et ex parte operantis, est certum nullum dari jus ex parte personæ propter impedimentum peccati, hoc autem sufficit ad tollendum omne meritum de congruo, quia ut dicit D. Thomas articulo septimo non potest mereri homo reparationem post lapsum etiam de congruo, quia ponit impedimentum per peccatum. Fatemur ergo primæ sententiæ dari meritum de congruo ex parte operis, sed addimus cum secunda hoc meritum habere jus impeditum ex parte personæ propter impedimentum peccati, unde est meritum sine jure, quod proprie non est meritum, sed manet in vi dispositionis, vel impetrationis secundum puram misericordiam. Et sic patet quo sensu loquatur Augustinus et patres quando fidei attribuunt meritum ad remissionem peccatorum, scilicet meritum ex parte operis, et improprie dictum.